





F. G. MENAPIUS - CENTO VIRGILIANUS · CENTO OVIDIANUS · 1618













CENTO VIRGILIANUS

DE


FRATRIBUS ROSEÆ CRUCIS



Authore

F. G. MENAPIO.

MDC,XIIX.



CENTO VIRGILIANUS DE FRATRIBUS ROSEÆ CRUCIS.

Ille Ego, qui quondam viridi projectus in antro,
Multa super Nymphâ repetēs, super æquore multa
Multa super visis dilectâ in Virgine membris,
Delitias Domini, levium spectacula rerum,
Noctes, atq; dies cecini, quæ cortice fagi
Carmina descripsi, & modulans alterna notavi.
In tenui labor, at tenuis non gloria: si quem
Numina læva sinunt, auditq; vocatus Apollo.
Judicio nostro paulò majora canamus.
Non omnes arbusta juvant, collesq; virentes,
Pallentes hederæ, vel amantes littora Myrti,
Hædorumve gregem viridi compellere hibisco,
Aut humiles habitare casas, & sordida rura,
Populus, & glaucâ canentia fronde salicta.
Majus opus moveo: Non hîc te carmine ficto
Hospitium antiquum Trojæ, Tiberinaq; longe
Ostia, non genus invisum, aut Ganymedis honores,
Gradiumve patrem Geticis qui præsidet arvis

Sed Fratres rerum Dominos, gentemq; togatam,
Magnanimosq; Duces, totiusq; ordine gentis
Illustres animas, & corda oblita laborum?
Fataq; fortunasq; virûm. moresq; genusq;
Dicam equidem fretus cythara fidibusq; canoris
Fatidicæ Mantus; alios trivisse labellum
Pæniteat câlamo: Non omnia possumus omnes.
At tu cui meritis oritur fiducia chartis,
O decus, ô famæ meritò pars maxima nostræ
Mecænas; tentanda via est, qua me quoq; possim
Tollere humo, victorq; virum volitare per ora.
Non injussa cano, sua cuiq; exorsa laborem
Fortunamq; ferent: mihi jussa capessere fas est.
Mæcenas venerande, meis allabere captis,
Da facilem cursum, atq; audacibus annuè captis.
Te sine nil altum mens inchoat: altius omnem
Expediam, prima repetens ab origine, famam.
Dij, quibus imperiũ est animorũ, umbræq; silentes,
Et chaos, & phlegethon, loca nocte silentia latè,
Sit mihi fas audita loqui: sit numine vestro
Pandere res altâ terrâ, & caligine mersa.
Jam nova progenies cælo demittitur alto,
Ab Jove principium generis, si credere dignũ est,
Natus ab integro seclorum nascitur ordo.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,

[C]asta fave Lucina: tuus nunc regnat Apollo,
[V]enit summa dies, & ineluctabile tempus,
[C]edamus Phœbo, & moniti meliora sequamur.
[F]ortè inter densas, umbrosa cacumina, fagos
[I]nnumeris implens vacuum nemus omne querelis,
[F]essa, sed obscenas ostentans improba partes,
[N]uda genu, nodoq; sinus collecta fluentes,
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, Pariusve lapis circundatur auro,
[C]um malo Galatea petit lasciva puella,
[J]am matura Viro, jam plenis nubilis annis,
Postqnam spectaret solum Cyclopa vagantem,
[I]psum inter pecudes vasta se mole moventem,
Pastorem Polyphemum, & littora nota petentem,
Accedit, tales & cœpit reddere voces:
Quid Polypheme furis, quid inani carperis œstro?
[D]entibus infrendens gemitu cui lumen ademptum
[I]n domitas tantus tibi quis dolor excitat iras?
[E]xcute conceptam flagranti pectore bilem,
Meq; agnosce thori sociam: tua jussa libenter
[E]xequar, & tecum constantia fœdera jungam,
[C]uius amor tantum cunctas mihi crescit in horas,
Quantum vere novo turgent in palmite gemmæ:
[E]st etiam nobis non infima stirpis origo,
Me quoniam fortes olim genuêre Gigantes,
[I]nvictis ausi superis indicere bellum.

Omne adeo genus in terris hominumq; ferarumq;
Et genus æquoreum pecudes, pictæq; volucres,
In furias, ignemq; ruunt: amor omnibus idem.
Ut primùm cessit furor, & rapida ora quierunt,
Incipiens subitò veteres dediscere motus
Aspicit Hic nudos, molissima membra, lacertos,
Corpus, & auratas pictâ sub tegmine vestes,
Intentos volvens oculos, uritq; videndo
Virginis os, habitumq; recens cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cygnis, hederâ formosior alba,
Nunquam hodie effugies, infit, nec voce lacessas
Efficaciam posthac quenquam: Quin protinus illā
Arripit, & secum tenebrosum ducit in antrum,
Clamorem immensum tollens, quo pontus, & omnes
Intremuêre undæ, penitusq; exterrita tellus
Armeniæ, curvisq; immugijt Ætna cavernis.
Hinc genus è sylvis Cyclopum, & montibus altis
Excitum ruit ad portus, & littora complent.
Cernimus astantes nec quidquam lumine torvo
Ætnæos fratres, cælo capita alta ferentes.
Mox simul & paribus intens Cyllenius alis
Constitit, & toto præceps se corpore ad undas
Misit, & ex templò in tenues evanuit auras.
Juppiter, & Tellus, Sol, nec non pronuba Juno

Dant

Dant signum: fulsêre ignes, & conscius æther
Connubij, summaq; applaudunt vertice Nymphæ,
Plena per insertas fundebat Luna fenestras:
O fortunati, quorum Rex magnus Olympi
Conjugio Deus ipse faces, animumq; ministrat
Consiliumq́;, omnemq; domum, eventusq; secundat,
Interea furit immissis Vulcanus habenis,
Et subter specus, & Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnæa tonant, validisq́; incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntq; cavernis
Strictura chalybum, & fornacibus ignis anhelat.
Pars spoliant aras, frondem, ac virgulta, facesq;
Conjiciunt, alij taurinis follibus auras
Accipiunt, rapiuntq́; focis penetralibus ignem.
Excubat, exercetq; vices, quod cuiq; tuendum est:
Idem omnes simul ardor agit, labor omnia vincit
Improbus, & rerum fato prudentia major.
Ille sedens victor flammas despectat ovantes,
Attrectat manibus, figitq; in virgine vultus,
Oscula libavit, dextramq; amplexus inhæsit.
Postquam congressi sola sub nocte per umbram,
Et mentem Venus ipsa dedit, nova prælia tentant,
Luxuriatq; toris animosum pectus, honesti
Concubitu indulgent trepidanti fervidus instat,
Illa manu moriens telum trahit, ossa sed inter
Altius ad vivum persodit vulnere mucro,

Perdita nec seræ meminit decedere nocti.
Unde utero Galatea gravi formosa revertens,
Dum rapuit sitiens Venerem, interiusq; recondit,
Digna laboratis respondent præmia curis,
Teutoniæq; suos fætus cum nixibus edit.
Non alias cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere Cometæ.
Sed nihil invitis fas quenquam fidere Divis.
Dijs quanquam geniti, ot jam labentibus annis,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas,
Errabant acti fatis Maria omnia circum.
Nunc è conspectu Siculæ telluris in altum,
Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur,
Vela parant, & mox Libiæ vertuntur ad oras,
Mox & Scyllæas rabies, penitusq; sonantes
Accedunt scopulos, mox & sub sydere cancri
Versant, Illijricum, Tyros, & Agenoris urbem,
Bacchatamq; jugis Naxon, viridemq; Donysam,
Quaq; redit medium Rhodope porrecta sub axem,
Mænia, turgentemq; novæ Carthaginis arcem
Experti, atq; nives hyemis, Hebrumq; biberunt,
Alpinas ah dura nives & frigora Rheni,
Cum subitò assurgens fluctu nimbosus Orion
In vada cæca tulit, penitusq; procibus Austris
Perq; undas superante salo, perq; in via saxa
Dispulit huc illuc ventis Maria omnia vectos.

Affli-

Afflictat fortuna viros per bella, per æquor,
Iras insidiasq́, cathenatosq; labores
Mutandos semper gravioribus: ipsa senectus
Expectata diu, votis optata malignis
Obijcit innumeris corpus lacerabile morbis
Nulli certa domus, habitabant vallibus imis
Seclusum nemus, & scopulis pendentibus antrum,
Riparumq; thoros inter spelea ferarum,
Sole sub ardenti, gelidiq; sub ætheris axe.
Corrupto cœli tractu miseranda recurrit
Arboribusq;, satisq; lues, & lethifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora: tum steriles exurere sirius agros,
Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.
Jupiter omnipotens, qui solus ab æthere summo
Cuncta moves, qui res hominum, curasq; recenses
Aspicis hæc? An te, Genitor, cum fulmina torques,
Necquicquam horremus, cæciq; in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miscent?
Munera nostra tuis an frustra imponimus aris?
Quid struimus! quæ spes! famã anne fovemus inanẽ
Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem!
Quid tua sancta fides, quid cura antiqua tuorum?
Magne pater, tandem quem das tot fluctibus actĩs
Finem! Sic Fratres nos in tua sceptra reponis
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos?

Molle pecus scabiemq; ferat, turpesq; podagras.
Dira per incautum serpant contagia vulgus!
Cur fuerit, atq; artus depascitur arida febris?
Heu pietas, heu prisca fides! Quis talia fando
Temperet à lachrimis! Quæ te sententia vertit!
Juppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis
Aspice nos, hoc tantum: & si pietate meremur
Da deinde auxilium pater.
Illis subridens hominum sator, atq; Deorum,
Vultu, quo cœlum, tempestatesq; serenat,
Et simul ingemuit miserans, dextramque tetendit,
Et mentem patriæ subijt pietatis imago,
Oscula libavit Gnatis, de hinc talia fatur:
Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri!
Magnanimi Heroës, nati melioribus annis,
Qui tumidum sub me permensi classibus æquor,
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Solvite corde metum, Fratres, secludite curas,
Degeneres revocate animos, mæstumq; timorem.
Mittite: Forsan & hæc olim meminisse juvabit,
Fabor enim vobis, quando hæc vos cura remordet,
Longius & volvens fatorum arcana movebo.
Hoc opus, hic labor est: pauci quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.
Audite ô proceres, ait, & spes discite vestras.
Nostis, sæpè equidem indolui commotus amore.
Imposuis

Imposui finem: nunc stat sententia menti.
Qui vos tantorum eripui de clade malorum,
Idem Ego sub majora potens vos præmia ducam.
Tempus erit, quo vos cognoscat maximus orbis
Authores frugum, tempestatumq́ue potentes
Accipiat, vobis quoq́ue serviat ultima Thule,
Queis ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Vosq́ue sibi generos Thetis emat omnibus undis.
Iidem venturi tollentur in astra nepotes,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.
Quin si alios sua habet virtus, qui laude perenni
Accingant sese, gestis præstantibus orbem
Exornent, illos rursum super æthera mittam
Imperium sine fine dedi, neq́ue me sententia vertit.
Tempus erit, per vos redeant Saturnia regna,
Ipse lacte domum referant distenta capellæ
Ubera, nec magnos metuant armenta leones.
Expectata dies aderit, dignisq́ue Hymenæis
Matres, atq́ue viri, juvenesq́ue ante ora parentum
Mixti convenient: veteres tellure recludent
Thesauros, ignotum argenti pondus, & auri
Munera portabunt, auriq́ue, eborisq́ue talenta.
Sæpè manu liquido distendent nectare cellas,
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet: Assyrium vulgo nascetur amomum.
Molli paulatim flavescet campus arista,

Incul.

Incultisq; rubens pendebit sentibus uva,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.
Optima quæq; dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus,
Et labor & duræ rapit, inclementia mortis.
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas: erunt etiam altera bella,
Atq; iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Bellum ingens geret Italia, & Mavortia condet
Mœnia, nec ponent sua corda ferocia pœni.
Immatura cadent ramis pendentia mala,
Vicinæ flammæ rapient ex ordine vites,
Dulcia non oculis, non auribus ulla ferentur.
Hinc ubi jam firmata Viros vos fecerit ætas,
Aspera tum positis mitescent secula bellis:
Claudentur belli portæ: Furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Cedet & ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Ise suas artes, sua munera lætus Apollo
Augurium, cytharamq; dabit celeresq; sagittas,

Scire potestates herbarum, usumq; medendi.
Nulla viam fortuna reget, spargetq; salubris
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam
Non rastros patietur humus, non vinea falcem
Robustus quoq; jam tauris juga solvet arator,
Nec varios discet mentiri lana colores,
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos,
Jamq; novum terræ stupeant lucescere solem,
Jungentur jam Gryphes equis, ævoq; sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Talia secla suis dixerunt currite fusis
Concordes stabili fatorum numine parcæ.
Hic labor: hinc laudem fortes sperate coloni.
Quo ferror! unde abij! fugit irreparabile tempus,
Multaq; præterea post me memoranda relinquo,
Sic pater astripotens intentis omnibus unus
Fata renarrabat Divum, casusq; docebat,
Incenditq; animos famæ venientis amore.
Conticuit tandem, factoq; hic fine quievit.
Salve vera Jovis proles, tibi nomina mille,
Dives opum, dives pictai vestis, & auri
Omnes cælicolas, centum complexa nepotes,
Nunc ite, & vosmet rebus servate secundis
Concordes animæ, nunc & secludite curas.

Ofor.

O fortunati nimium, multumq; beati,
In quibus illa pedis nivei vestigia ponet,
Aut roseis digitis viridem decerpserit uvam.
Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
Quid proceres, vaniq; ferat quid opinio vulgi
Securus, mundi instar habens, teres, atq; rotundus,
Atq; metus omnes, atq; inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumq; Acherontis avari.
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres,
Aut conjurato descendens Dacus ab Istro:
Non res Romanæ, perituraq; regna: neq; ille
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
O socij per dura, ac densa pericula vecti,
Per tantos bellorum æstus, duplicesq; furores
Armorum: jam finis adest: hîc meta laborum
Stabit, non equidem invideo. Discordibus armis
Haud impacatos à tergo horrebis Iberos,
Non unquam somnos abrumpet cura salubres,
Multa viros meritis sustentat fama trophæis,
Ipsi lætitiâ voces ad sydera jactant,
Omnia transformant sese in miracula rerum,
Gryllos, & mures, noverunt omnia Vates
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura sequātur,
Ignari scelerum Fratres, artisq; pelasgæ.
Omnibus una quies operum, mens omnibus una est,
Soli

Soli communes natos, consortia tecta
Urbis habent, magnisq; agitant sub legibus ævum,
Et genus immortale manet, multosq; per annos
Stat fortuna domus & avi numerantur avorum.
Sed tu desine plura puer sub nocte silenti
(Religio vetuit.) socijs exactare ferre.
Claudite jam rivos, sortes: arcanaq; fata
Cœlestes animæ vestrum cecinisse poetam
Hæc sat erit.
Aspice venturo lætentur ut omnia sæclo!
Omnia nunc rident, quoniam sors omnia versat,
Omnia fert ætas, animum quoq;.
Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.
Collige virgo rosas, dum flos novus, & nova pubes,
Arte laboratas vestes, Ostroq; superbo,
Ingens argentum mensis, colloq; monile
Baccatum, & duplicem gemmis, auroq; coronam.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu lesisset aristas:
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
Nunc & oves ultrò fugiat lupus, aurea duræ
Mala ferant quercus: narcisco floreat alnus:
Pinguia corticibus sudent electra Myricæ.
Certent & Cygnis ululæ: sit Tityrus Orpheus:
Orpheus in Sylvis, inter delphinas Arion.

Infelix

Infelix ego, non illo qui tempore natus,
Quo facilis natura fuit: sors ô mea læva
Nascendi, miserumq; genus?
Atq; utinam ex vobis unus, vestriq; fuissem
Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ,
Vobis Getulicis agerem si syrtibus exul,
Argolicove mari deprensus, & urbe Mycenæ,
Annua vota tamen, solemnesq; ordine pompas
Exequerer, struerem que suis altaria donis.
Omnia vincit amor: ducit sua quemque voluptas.
Munera vestra cano, Vos ô clarissima Mundi
Lumina, queîs vivis licuit succedere cœlo.
O fortunatæ gentes, genus à Jove summo,
Cara Deum soboles magnum Jovis incrementum,
Vestræ parta quies æternâ in secula genti est.
Jamq; vale: dum plura canã, quia plura supersunt,
Quæ tibi prolixo statui describere versu.
Vivite felices, ô terque, quãterque beati,
Fortunati omnes, si quid pia numina possunt,
Quo res cunq; cadent. Si quid mea carmina possunt
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.
Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ
Semper honos vester, nomen laudesq; manebunt.

Fecit ne nil *faceret*
Franciscus Gentdorp, cognomento Gemetz. Menapius.

Cento


CENTO OVIDIANUS DE FRATRIBUS ROSEÆ CRUCIS.



Eodem Authore

F. G. MENAPIO.

MDC XIIX.



CENTO OVIDIANUS DE FRATRIBUS ROSEÆ CRUCIS.

DIvitis ingenii est immania cæsaris acta
Condere, materiâ ne superetur opus.
Cæsaris arma canant alii: nos carmina Fratris
Collegii Roseæ non referenda Crucis.
Quisquis es, ô faveas, nostrisq; laboribus adsis,
Alloquioq; juva pectora nostra tuo.
Unde petam causas horum, moremque sacrorum,
Diriget in medio quis mea vota freto?
Sive die laxatur humus, seu frigida lucent
Sidera, prospicio quis freta ventus agat.
Ipse mone, qui nomen habes à carmine ductum,
Propositoq; fave ne tuus erret honor.
Annue conanti per laudes ire tuorum,
Deq; meo pavidos excute corde metus.
Obscuris Frater fer opem mitissime rebus:
Difficilis causæ mitte patrocinium.
Da mihi te placidum, dederis in carmina vires,
Ingenium vultu statq; caditq; tuo.

Ergo ades, & placido paulùm mea carmina vultu
Respice, pacando si quid ab hoste vacas.
Cum tibi sint Fratres, fratres alciscere lasos:
Cumq; pater tibi sit jura tuere patrũ.
Deficit ingenium, majoraq; viribus urgent,
Hæc mihi præcipuo est ore canenda dies.
Ergo erit illa dies, qua tu pulcherrime rerum
Quatuor in niveis aureus ibis equis.
Spectabunt juvenes læti, mistique puellæ,
Diffundetq; animos omnibus illa dies.
Prospera lux oritur, linguisq;, animisq; favete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Prospera lux oritur cuius secura favore
Ocia terra ferax, ocia pontus habet.
Lite vacant aures, insanaque protinus absunt
Jurgia: cum nautis ocia miles agit.
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit inæde jubar.
Jamq; novi præeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Juppiter arce sua totum cum spectet in orbem,
Nil nisi Confratres, quos tueatur, habet.
Salve festa dies, meliorq; revertere semper,
Neve suum præsta deserat author opus.
Dijq; petitorum vos ô salvete locorum,
Tuq; novos cælo terra datura Deos.

Este

Este bonis avibus visi, vestrisq́ue, mihiq́ue,
Ripaque felici tacta sit ista pede.
Felices animæ, quibus hæc cognoscere primùm,
Inque domos superas scandere cura fuit.
Et aliquid plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam deligere ungue Rosam.
Plus etiam quam quod superis contingere fas est,
Nulla quibus reddi gratia digna potest.
Credibile est illos pariter vitiisq́ue, jocisq́ue
Altius humanis exeruisse caput.
Ista vetus pietas, ævo moritura futuro,
Rustica Saturno regna tenente fuit.
Non Venus, & Vinum sublimia pectora fregit:
Officiumq́ue fori, militiæq́ue labor.
Nec levis ambitio, perfusaq́ue gloria fuco,
Magnarumve fames sollicitavit opum.
Admovêre oculis distantia sidera nostris,
Ætheraq́ue ingenio supposuere suo.
Consortes operum, per quos correcta vetustas,
Quernaq́ue glans victa est utiliore cibo;
Fructibus immensis avidos satiate colones,
Ut capiant cultus præmia digna sui.
Vos date perpetuos teneris sementibus auctus,
Nec nova per gelidas usta sit herba nives.
Cum serimus cœlum ventis aperite serenis,
Cum latet, ætherea spargite semen aquâ.

Ecce petunt rupes, præruptaq; saxa capellæ,
Ut referant hædis ubera plena suis.
Aspice curvatos pomorum pondere ramos,
Ut sua quod peperit vix ferat arbor onus
Hæc ego cum sumptis agitarem mente tabellis,
Lucidior visa est, quam fuit ante, domus.
Tum sacer accipiti mirandus imagine Frater
Sancta repentè oculis obtulit ora meis.
Extimui, sensiq; metu riguisse capillos.
Et gelidum subitò frigore pectus erat.
Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit, & est vitæ nescius ipse suæ.
Celsior ille loco, sceptroq; innixus eburno,
Edidit hos nobis ore priore sonos:
Cui commune genus mecum, & patruelis origo,
O vir colloquio non abigende meo,
Disce metu posito vates operose dierum
Quod petis, & memori pectore dicta nota.
Affectasse ferunt regnum cæleste Gigantes:
Aspice quam longi temporis acta feram.
Jamq; quiescebant voces hominumq;, canumq;,
Lunaq; nocturnos alta regebat equos.
En Galatea jacet tunicâ velata recinctâ,
Candida dividuâ colla tegente comâ.
Ut tetigit niveæ secreta cubilia Nymphæ
Ipse Cyclops nutu, solicitansq; notis,

Et

Et jam finitimo corpus libraràt in antro,
Illa tamen multo plena soporis erat;
Forma placet, niveusq; color, flaviq; capilli,
Quiq; aderat nulla factus ab arte decor.
Candida vestis erat, præcincti flore capilli,
Alba verecundus tinxerat ora rubor.
Oscula dat manibus, vix jam vix cætera differt,
Forma papillarum quam fuit apta premi?
Quam castigato planus sub pectore venter,
Quantũ, & quale latus, quam juvenile femur?
Gaudet, & à pedibus tracto velamine vota
Ad sua felici cœperat ire via.
Exuerat tunicas uteri manifesta tumore:
Proditur indicio ponderis ipsa sui.
Nunc uterus vitio est, quæ vult formosa videri,
Raraq; in hoc ævo est quæ velit esse parens.
Filius hinc genitus, qui quanquam clarus utroq;,
Nobilior sacræ sanguine matris eram.
Dicite, Tu nobis lucem Lucina dedisti:
Dicite, Tu voto parturientis ades.
Ecce Deûm Genitor rutilas per nubila flammas
Spergit, & effusis æthera siccat aquis.
Non alias missi cecidere frequentius ignes,
Rex pavet, & vulgi pectora terror habet.
Ter tonuit sine nube Deus, tria fulmina misit,
Et gravis æthereo venit ab axe fragor.

Mox Genetrix flenti, Fortuna viriliter, inquit,
Siste puer lachrimas, multa ferenda tibi est.
Pone metus, inquit, nunquam tibi causa doloris:
Differ, habent parvæ commoda magna moræ.
Vita feris similis nullos agitata per usus,
Nectar erit palmis hausta duabus aqua.
Exul, inops, errans, alienaq; limina lustrans,
Exiguumq; petens ore tremente cibum,
Omnibus invisus, nec eris miserabilis ulli,
Gaudebit fato fœmina, virq; tuo.
Accedet lachrimis odium, dignumq; putabunt,
Qui mala cum tulerit plurima, plura ferat.
Nec fera tempestas toto tamen errat in anno,
Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.
Vidi ego pampineis oneratam vitibus Ulmum.
Quæ fuerat sævo fulmine tacta Jovis.
Dixerat: & vultu, si plura requirere vellem
Difficilem mihi non se fore pactus erat.
Sumpsi animum, gratesq; Deo non territus egi,
Verbaq; sum spectans pauca locutus humum:
Si licet occultos monitus audire Deorum
Vatibus, ut certè fama licere putat;
Dic age cur uxor vivo tibi viva negatur,
Et domus, & fidæ dulcia membra domus!
Nunc procul Illyricis læva de parte relictis
Interdicta tibi cernitur Italia.

Nunc & Alexandri claram delatus in urbem
Delitias cernit, Nile jocose, tuas.
An tibi perpetuo patriæ tellure carendum est,
Ni fuerit læsi mollior ira DEI!
Numen, & auxilium per sacras quærite sortes,
O pater, ô patriæ spesq;, salusq; tuæ!
Quæsieram paucis, non multis ille moratus
Contulit in versus sic sua verba duos:
Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,
Ut volucri vacuo quidquid in orbe patet.
Postea quærebam, pateretur Numinis iram,
An meriti pœnam! Percipe Frater ait:
Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemq; metumq; suo.
Desierat Frater, nec longa silentia feci,
Sed tetigi verbis ultima verba meis:
Speravi melius, quia te meruisse putavi:
Quæcunq; ex merito spes venit æqua venit,
Sic erat in fatis? & non te culpa fugavit!
Sed Deus offenso pelleris orbe Deo!
Passus idem est, Tyrijs qui quondam pulsus ab oris
Cadmus, in Aonia constitit exul humo.
Passus idem est Tydeus, & idem Pegaseus Jason,
Et quos præterea longa referre mora est.
Omen ait causa est: motusq; hos ante sciebam,
Multaq; præterea tempore nacta fidem.

Sæpè ego nimbosis dubius jactabar ab hædis,
Sæpe minax Steropis sidere pontus erat.
Fuscabatq; diem custos Erymantidos ursæ.
Aut Hyadas sævis hauserat Auster aquis.
Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent,
Parvaq; quot siccus corpora pulvis habet
Cura, dolorq; animi, lachrymæq; alimenta fuêre
Horaq; erat tantis ûltima nulla malis.
Multaq; credibili tulimus maiora, ratamq;
Quamvis acciderint, non habitura fidem.
Finierat monitus: placidis ita rursus, ut ante,
Humanum verbis alloquor ipse Deum:
An miserum tristis fortunæ tenaciter urget,
Nec venit inceptis mollior aura tuis?
Ipse ego nunc miror tantis animiq;, marisq;
Fluctibus ingenium non cecidisse tuum.
Divitiis etiam multos, & honoribus auctos
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.
At puto fructus adest, justissima causa laborum,
Et sata cum multo fœnore reddit ager.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Quamvis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.
Multa quidem didici: sed jam tibi meta laborum
Instat: Ad hæc tales reddidit ore sonos:

Inter utrumq; fremant immani murmere venti;
Sæpè premento Deo fert Deus alter opem.
Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo,
Æqua Venus Teucris, pallas iniqua fuit.
Auxia si rerum munerentur fata mearum,
Omne genus miseri vita laboris habet:
At si cura Jovis, pia si clementia cæli
Spectetur, vero sors mea læta bono est.
Perlege dispositas annosa per atria ceras,
Contigerant nulli nomina tanta viro.
Dixit, & ignotas animum dimittit in artes,
Naturamq; novat: vidit, & obstupuit.
Presserat ora Deus, tunc sic ego nostra resolvi,
Voce mea voces eliciente DEI.
Si vitæ series semper tibi læta fuisset,
Virtutis tacitum delituisset opus?
Nunc eadem gravibus rerum perculsa procellis
Tollitur, & recti non leve nomen habet?
Templorum positor, templorum sancte repertor,
Sit superis opto mutua cura tui.
Dent tibi cælestes, quos tu cælestibus annos,
Proq; tua maneant in statione domo.
Tu populos, urbesq;, & regna ingentia finis,
Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est, nullo corrumperis auro,
Legitimâ servas credita rura fide.

Omnia

Omnia te metuunt, ad te sua brachia tendunt,
Vulgus Io magnâ voce triumphe canit.
Omnia debentur vobis: tibi thuris honores,
Templa tibi statuam, Numinis instar eris.
Numinis instar eris semper mihi, meq; fatebor
(Lux æterna mihi) muneris esse tui.
Dicere sum solitus, tu me reficisq; fovesq;:
Credula res amor est, sæpe tamen dubitat.
Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam,
Nec mora, quæsiti reddita causa mihi est.
Me penes est unum fasti custodia mundi,
Et jus Vertendi cardinis omne meum est.
Cum libuit pacem placidis emittere tectis
Libera per tutas ambulat illa vias.
Sauguine lethifero totus miscebitur orbis,
Ni teneant rigidæ condita bella seræ.
Præsideo foribus cœli cum mitibusq; Horis,
Et redit officio Juppiter ipse meo.
Et Deus *humana lustro sub imagine terras,*
Eoas partes, Hesperias simul.
Artibus ipse ego nunc populos reparabo paternis:
Jam satis est virtus dissimulata diu.
Nunc quoq; detecti referam monimenta vetusti
Moris, & antiquas testificabor opes.
Omnia jam fient, fieri quæ posse negabas,
Et nihil est de quo non sit habenda fides.

Quodcunque optaris, stygias juravimus undas,
Ne dubita dabitur: qui fuit ante, manet.
Quid dubitas, & tuta times? accede rogaque,
Nunc fas est homini cum Jove posse loqui.
Est Deus in nobis, nostri quoque sanguinis author
Juppiter est, cuncta & sunt mea templa Jovi.
Quidquid contigeris, fulvum vertetur in aurum:
Talia fatidici dicta fuêre senis.
Stulta veneficij tamen est via: noster Apollo
Innocuam sacro carmine monstrat opem.
Me duce non tumulo prodire jubebitur umbra,
Non anus infami carmine rumpet humum.
Non seges ex aliis alios transibit in agros,
Nec subito Phœbi pallidus orbis erit.
Dixit, & attollens oculos diversa tuentes,
Aspexit toto quidquid in orbe fuit.
Dicta fides sequitur, responsaque Vatis aguntur:
Dent modo Dij vires in mea verba suas.
Pax erat, ut desunt hostes, ut causa triumphi,
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Exuitur feritas, armisque potentius æquum est,
Et cum cive pudet conseruisse manus.
Aurea messis erat, flumen vis aurea tinxit,
Lamina fulva dapes, debita solvit honor.
Sæpe canes, leporesque umbra jacuêre sub una,
Et stetit in saxo proxima cerva lea.

Et

Et sine lite loquax cum palladis alite cornix
Sedit & accipitri juncta columba fuit.
Talia miranti Frater monstraverat ille
Subjunxi hæc dictis ultima verba meis:
Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis,
Perpetuusq; animi debitor huius ero.
Spiritus & vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepito deseret ossa rogo:
Quam subeant animo meritorum oblivia nostro,
Et longâ pietas excidat ista die.
Maxime, qui tanti mensuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus;
O Decus, ô patriæ per te florentis imago,
O vir non ipso, quem regis, orbe minor:
Dij tibi sint faciles, & opis nullius egentem
Fortunam præstent, dissimilemq; meæ.
Detur in offensæ vitæ tibi tangere metam,
Qui legis hoc nobis non inimicus opus.
O Facunde senex ævi prudentia nostri,
Dij faciant laudis summa sit ista tuæ.
Heu mihi non magnas quot habent mea carmina
Nostraq; sunt meritis ora minora tuis. (vires,
Quantumcunq; tamen præconia nostra valebunt,
Carminibus vives tempus in omne meis
Optavi peteres cælestia sidera tardè,
Parsq; fui turba parva præcantis idem.

arda sit illa dies, & nostro serior ævo,
O Pater, ô patriæ cura, salusq; tuæ.
t pia thura dedi pro te, cumq; omnibus unus
Ipse quoq; adjuvi publica vota meis.
on tua carminibus major sit gloria, nec quo
Ut major fiat crescere possit habet.
ama Jovis superest, tamen hunc sua facta referri,
Et se materiam carminis esse juvat'.
os quoq; per totum pariter cantabimur orbem,
Junctaq; semper erunt nomina nostra tuis.
umpere livor edax, magnũ jam nomen habemus:
Majus erit, tantum, quo pede cœpit, eat.

FINIS.

Non εὐνοίας, *non* φιλαδελφίας ἕνεκα *scribsit Amicus qui scribsit, sed* χλευαστὴς σχο-λαῖος *fallendi temporis ergo.*

LECTORI S.

Nõnulla errata in duplica nostra, & alibi reliquit festinans Typographus, quæ te ipsum pro candore tuo, & prudentia facilè correcturum esse putamus. Interea, si vis, exspectabis, donec ad Calendas Græcas tibi tradat ἡ κορυφαία, καὶ πρεσβυτάτη τῶν φιλοσοφοθεολόγων ἀκρότης, si Displacet inferis, Fraternitas τῶν θαυμάτων πεπλεσμένων ἐπισημῶν. Nam cogitationes suas non calentes, non recentes ab incude protrudere solet, sed Horatiani præcepti memor non solum in nonum usq; annum limæ laborem, & moram adhibet, verùm etiam tum demum nobis, quæ promisit, videre licebit, cum mula pepererit. Hæc tibi propter tuam ἀσφάλειαν paucis significanda esse duximus, ne, cum opinione tua diutius in suspenso teneberis, animo concidas, & despondeas, Fraternitatem tandem aliquando τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ fidem suam παντοκρατορικῶς liberaturam esse. Vale.

